

anno Franciscus Bastonus Boschenfis vir senex, sed multis animi virtutibus præditus, a Pio V. arcis sancti Angeli Romæ Præfectus, & Custos præficitur, quæ fidei suæ committitur, & eo defuncto Bastonum juvenem egregium, & de quo magnam spem Pontifex conceperat, in ejus locum delegit. Eodem anno frater illustrissimi Cardinalis Alexandrini Præfectus Prætorio Pontificali, Romæque Gubernator renuntiatur. Michael Bonellus vir de sede Apostolica meritis, classisque Pontificiæ, quam Pius V. in Turcas de anno 1571. destinavit, Præfectus declaratus, cum plura de se egregia facinora edidisset, tamen non destitit, donec victoriam, Deo auctore, de inimicis nactus fuerit, summa cum omnium, qui Christum colunt, animorum congratulatione, Eodem anno Cæsar Guascus patritius Alexandria, Anconæ Præfectus, arcem, præsidiumque ipsum inexpugnabile munivit.

MDLXVII. De mense maii Ferdinandus Toletanus Albæ Dux, dum in Belgas proficisceretur, Philippi Regis vices gerens aliquot dies Alexandria commoratur; inibi de militibus insignibus ... constituit, salaria militiæ deputavit, ac Chiappinum Vitellum Tribunum militum effecit menstruo stipendio honorificentissimo, aliosque (1) pro meritis, titulis, & stipendiis decoravit; ac mox dimissis militibus, qui in Lombardia commorabantur, paullo post eosdem recolligit, quem nonnulli Principum Italorum Legati nomine suorum Principum invisunt (2), Mediolanique nobilitas, Beneficarii fere omnes, illud idem faciunt, qui honorifice ab Alexandrinis excipiuntur. Eodem anno die undecimo aprilis in Johannis Guevaræ præmortui locum D. Aloysius de Acugna Hispanus, Alexandria Gubernator deputatur, vir omnibus bellicis, ac rei militaris peritiâ ornatus, qui mira continentia, ac integritate se gessit, vir sui retinens, alieni non appetens, quem ni fata nobis invidissent, diutius frui licuisset; tum ob ætatem, tum etiam ob ejus prosperam valetudinem, quam præferebat. Sed in Belgium idem Aloysius de Acugna de anno 1568. jussu Philippi Hispaniarum Regis cum delectu militum Hispanorum proficiscitur, qui a Duce Albæ locumtenens generalis equitatus levis armaturæ constituitur; atque ejus consilio, ac opera inibi usus fuit. Tandem eo tempore, dum idem Acugna Præfecturam Civitatis exerceret, de mense maii os brachii majus cujusdam gigantis reperitur in loco Portarbellæ territorii Papiensis, Præfecturæ tamen Gubernatoris Alexandria in citeriore ripa fluminis Padi a Lancellotto piscatore ejusdem loci indigena, ab armo, sive a spatula usque ad cubitum cassitudine capitis hominis proceri, longitudinis vero pedum trium, quod diligenter ponderatum fuit, & repertum esse pondus septem, & librarum quatuordecim (pondus autem pendit libras 25., libra porro uncias 12.) diligentiaque Gregorii a Castro tunc Commissarii Alexandriam transportatum est, quod nunc D. Johannes Sedegna Hispanus domi suæ habet. Ita ut amplius ambigendum non sit, quin quod sacræ literæ, & quid Thomas Fazelus in historia Rerum Siciliae literarum monumentis tradunt, Gigantes olim fuerint.

(1) Aliisque MS. (2) Incurrunt MS.

MDLXVIII. Sexto idus martii Auximates in Piceno ob multa egregia in ipsos opera navata, Republicaque eorum bene administrata, Cæsarem Guascum supra memoratum, & eorum Præfectum in civium numero adscripserunt.

MDLXX. Michael Bonellus Pii V. summi Pontificis nepos Breve, seu Indultum ad Cosmum Medicum magnum Ducem Hetruriæ in civitate Florentiæ, jussu ejusdem Pontificis detulit, ab eoque maximo cum sumptu, & pompa excipitur.

MDLXXI. Guarnerius Trottus civis Alexandrinus patriæ nostræ Episcopus a Pio V. Pontifice datur. Eodem anno Pius V., Philippus Hispaniarum Rex, Respublica Veneta una cum Genuensi, & aliis Principibus Christianis in unum conveniunt ad bellum adversus Turcas gerendum, qui omnes Johannem Austriacum Regis Philippi fratrem totius classis Præfectum deligunt. Multi eum in tali expeditione sequuntur, inter quos Marcus Antonius Columna militum, & triremium Pontificis una cum Michael Bonello Nepote Pii V., Præfectus nec non & Princeps Parmæ, Princepsque Urbini, Marchio sanctæ Crucis, & Jo. Andreas Auria pro Republica Genuensi, & multi alii. Tandem die septimo mensis octobris classis ipsa Turcarum apud Echinadas insulas, Eupharias dictas, a Christianis profligatur, conquassaturque, & multum emicuit fortitudo, & prudentia Ducum Christianorum in illo navali prælio, inter quos Michael Bonellus, qui fortissime adversus ipsos Turcas pugnavit, summam industriam, & prudentiam prætulit, quo factum est, ut laudatus a Marco Antonio Columna summi Pontificis Præfecto nec non a D. Joanne Austriaco totius classis generali Præfecto, & a Venetæ classis Præfecto, publice summam gloriam reportaverit. Publicæ ubique fiunt lætitiæ ob tantam victoriam cum omnium Christianorum congratulatione, & alacritate. Eodem anno inaudita quantitas nivium e cælo cecidit, qua de re plura domuum tecta collapsa sunt, multæ etiam domus ruinam minabantur; propterea dubitatum fuit in Excellentissimo Mediolani Senatu, an hi, qui aquas pluvias e vicinorum tectis in domos suas jure servitutis stillicidii recipiunt; nives etiam ab eisdem exonerandas, fundendas, & dejiciendas recipere tenerentur. Qua re mature considerata ad Senatum re perlata (1), illi ordini visum fuit, ut cum sit alia aquæ pluviae, alia nivis ratio, quoniam aqua statim atque e tectis delabitur (2), atque ob id nullam fere vicino molestiam exhibet, *abit*; nix vero persæpe perlongum tempus durat, & maximo insuper damno, atque incommodo vicinum afficit, ut liceret ei, qui habet stillicidii *jus* nivem in vicini domum projicere; ita tamen ut intra biduum postquam dejecta fuisset, impensa sua reportare teneretur per pœnas, & multas, de quibus in dicto decreto.

(1) Prælata MS. (2) Prælabitur MS.

MDLXXII. Calendis maii Pius V. Pontifex maximus ob Rempublicam Christianam bene administratam, post religiose vitam exactam, moribus, & omni sanctimonia, probitateque præditus, extremum vitæ actum absolvit, summo cum totius Catholici orbis detrimento, & mœrore. Hic compe-